

72.6

IOANNIS FORMOSA SACERDOTIS

6

DIV. ET IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS



De Biblico Hexaemero

BREVIS DISQUISITIO

M E L I T A E

Ex Officina G. MAISTRE ET G. RIZZO, Via Santa Lucia, 126.
AN. MCMIV.

PETRUM PACE
ARCHIEPISCOPUM, EPISCOPUM
IOAN. FORMOSA SACERDOS

Demississime orat ut bene precetur.

Quae res sacrum profanumve plurimum iuvare solent scriptorem, eae procul dubio mihi desunt, conciunitas atque eruditio. Num ergo ab incoeptis desistam? Id quidem facerem, nisi certo scirem iuvenes illos, qui scientiis bonisque artibus sedulam operam navaverunt, facile, quae Tua Benignitas est, gratiam esse consecutos: quo nihil mihi carius, nihil est utilius. Quo enim debiliores ingenii mei sunt vires, eo aequiori mente Tuâ in rebus praesertim biblicis Sapientiâ recreantur. Quare habe Tibi brevem, quaecumque sit, hanc meam μονογραφίαν; nec Te praetereat, si parum culta Tibi fuerit visa, primum fere eam esse meorum de re biblica studiorum fructum. Vale.

Conspicuae

Cal. Jan. MCMIV.

DE BIBLICO HEXAEMERO

BREVIS DISQUISITIO

| | | |
|----------------------------|-----------------------------------|--|
| יְהִי־עָרֵב וַיְהִי־בָּקָר | <i>vaiéhi ghéreb vaiéhi boker</i> | <i>Et factum est vespero et factum</i> [est mane] |
| יּוֹם אֶחָד | <i>iom ehad...</i> | <i>dies unus... dies secundus...</i> |
| יּוֹם שְׁנִי | <i>iom xeni...</i> | |
| רְבִיעִי | <i>xelixi...</i> | <i>tertius... quartus...</i> |
| הַמִּישִׁי | <i>rebighi...</i> | |
| הַשְׁשִׁי | <i>hamixi ... haxxixi...</i> | <i>quintus... sextus.</i> |
| | | <i>GEN. C. 1. V. 5-31. (Hebr.)</i> |

§ 1. *Sacrae Scripturae quoad omnes partes inspiratio.*

I. Sacrorum Bibliorum studiosos latere nequit rei christiana*e* infensi homines, quantâ cum sollertiâ, Sacram Scripturam, auxiliis ex scientiarum profanarum bonarumque artium placitis corrogatis, quovis tempore, et hac nostrâ prae*se*rtum aetate, impetere sunt ausi: nec catholici interpretes defuere, ipsi sciunt, qui scientiarum incrementis perculti atque perterriti, ne quid incommodi in Sacrorum Librorum auctoritatem exinde dimanaret, divinam Scripturarum inspirationem ad certas Sacrae Scripturae partes, quae de fidei morumque regula agunt, limitandam esse censuerint. Ita,

quod exempli causa sit, sese gessit Cardinalis Newman, qui a divina inspiratione ea, quae *obiter dicta* vocat, exclusisse perhibetur, ut *Nabuchodonosorem regem Ninive fuisse* (*Judith* 1. 7.) *Paulum penulam Troade reliquisse* (2 *Tim.* 4. 13) (1). Quin immo Lenomart integras historicas narrationes non inspiratas habuisse fertur, textumque proinde hexaemeri, quem nos hic enucleandum suscipimus, inter mithos, sicut ceteros historicos, amandare ausus est (2).

2. Attamen, id nemo, qui sapit, in dubium revocare potest, quin longe a recto tramite hoc genus homines aberrent. Neque mirandum propterea est, quod cl. Fillion, rerum biblicarum, Lugduni, Sacro in Athenaeo optime merito antecessor, asperioribus eos prosequatur verbis. Quamvis enim eâ ii rectâ agant mente, ut religionis inimicis obsequentes, tali eos fortassis modo ad suam tandem partem pertrahant, id e contra plerumque contingit, ut audentiores ipsi fiant, qui alia Sacrae Scripturae capita impetant.

3. Praeterea, siu fidei, ipsi sane Sacrorum Bibliorum divinaeque Traditionis sensui ea sententia adversatur. De toto scilicet vetere Testamento, quod Timotheus, matris Hebreae filius, iam a puerulo didicerat, hisce quam aptissime Apostolus (II. *Tim.* 3. 16) disserit verbis: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* Quid enim, nisi illud, haec Pauli verba sonant, quod Sacra Scriptura tota, universa, nullo omnino inter partes, quidquid tandem rei ipsa tradat, discrimine facto, divino afflante Spiritu sit conscripta? Idque eo manifestius patet, quo graeca diligentius attenditur sententia πασα γραφη θεοπνεστος και ῥημας: *Omnis Scriptura divinitus inspirata atque utilis;* quod et vetus vulgata editio egregie comprobat: *Omnis Scriptura divinitus inspirata et utilis.* Iam vero non omnia, quae libri V. Testamenti exhibent, de fidei regula morumque

(1) *Apud Pesch.*

(2) *Origines de l'histoire d'après la Bible* in praef.

doctrina agunt: nihil huiusmodi tradere regiones, non urbes, non flumina, non montes, cetera id genus, quae ibi commemorantur, omnibus in comperto est.

4. Evidet scio, cl. Pesch (1) nos monitos velle, neque unum ex Novo Testamento in medium proferri posse testimonium, unde totos N. Testamenti libros, prouti in tridentino canone habentur, esse divino afflante Spiritu conscriptos, probare nos invicte queamus; testimonia enim illa, praesertim vero *Apoc. I. 10, 11, 19. XIX, 9, 10. I. Tim. V. 18, 2 Pet. III. 14*, quae produci plerumque solent, utpote plus momenti huic quaestioni afferentia, nonnisi unum alterumve eiusdem Testamenti Librum, vel aliquas Epistolas respiciunt. Id tamen in opinionem adversariorum convellendam parum officit. Etenim, quae a sacris Scriptoribus, tamquam divinitus inspirata, citantur loca, non eadem tandem omnia ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinent: non id revera paulinas salutationes praefuerunt, non id Ecclesiae Ephesi, Asiae, ceterae. Patet igitur non alium, quam eum, sacrorum quoque Novae Oeconomiae Scriptorum fuisse sensum, non esse prorsus ad eas tantum Librorum Novi Testamenti partes, quae de fide moribusque agunt, inspirationem coarctandam.

5. Hinc merito nil sanctius, nil antiquius apud Patres fuit, quam ut quidpiam falsi, vel inepti, vel inconsiderati, alterius repugnantis sacris inesse Litteris omnino negarent. Consule Clementem in *Ep. ad Cor.*, Iustinum in *Dial.*, Irenaeum lib. I contra *Haer.*, Athanasium, et ita porro Basilium, Ambrosium, Augustinum, alios de Sacra Scriptura passim disserentes.

6. Hinc et Concilium Tridentinum, sess. 4: "Sacrosancta Synodus orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque Deus sit auctor pari pietatis affectu ac reverentia suscipit... Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus pro sacris et canoniceis non susceperit anathema sit." Fae advertas τό cum omnibus suis

(1) Dog. Prael.

partibus, si enim, ut in adversariorum sententia, S. Scripturae partes, quae de fide moribusque non agunt, inspiratae non essent optimo iure repudiari possent: quod contra Concilii sententiam evidenter est. Quam tridentini Concilii doctrinam Vaticanum Concilium excipiens, eadem fere verba repetere non dubitavit.

7. Summa igitur laus Leoni XIII P.M. fel. rec. est tribuenda, qui in Encyclica: *Providentissimus Deus*, postremis hisce annis edita, catholicam de inspiratione ita esposuit doctrinam, a qua proinde nemini interpreti probe catholico, ne lato quidem ungue, est deflectendum: ... *Nefas*, ait ipse, *omnino fuerit inspirationem ad aliquas tantum S. Scripturae partes coangustare...* *non enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis* (ex scientiis naturalibus et ex historia desumptis) *difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere...* Itaque quaecumque Auctor sacer scripserit ipsius Dei sunt verba, sive de fidei morumque regula, sive de factis historicis, rebusve naturalibus referat auctor.

§ 2. *Discriminis Fontes.*

8. Neque ab illo, quod iam supra (§ 1.) memoravimus, naturalistarum conamine quid mali S. Scripturae obventurum iure est timendum. Num enim veritas, supernaturali revelatione cognita, veritati naturaliter cognitae adversari potest? Nonne Deus utriusque ordinis veritatis auctor ipse est? Num Deus, summe Veritas, inter se pugnantia loqui potest? Verum enimvero, si quae dissidia sint, aliis profecto ex fontibus dimanare, suis iam temporibus, cognoverat Augustinus, qui *Ep. 82. C. 1. n. 3 ad Hier.* :... *ego fateor ait, caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. At si aliquid in iis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam VEL mendosum esse codicem, VEL interpretem non assecutum esse quod dictum est, VEL me minime intellexisse non ambigam.*

§ 3. An aliquo textus noster vitiatur mendo.

9. Profecto, ut ad rem nostram proprius accedamus, ea est primum quaestio instituenda, utrum textus, quem nos explicandum suscepimus, aliquo unquam mendo vitiaretur. Revera illud hoc loco notatu dignum est, quod nulla in S. Scripturis, quoad substantiam pertinet, mutatio vel contiguerit vel contingere possit. Sacra enim Scriptura nobis divinitus data est tanquam medium quo, quid agendum ad salutem, quidque credendum sit, certo cognoscere possimus. Si vero ii, qui ad fidei morumque regulam pertinent, textus corrupti fuerint, Sacrae Scripturae hominibus nocivae forent: absurdum autem est, divinaeque Providentiae contrarium, ut illud ipsum sit hominibus directe nocivum, quod a Deo Summe Bono ad humani generis salutem sit institutum. Quam tamen rationem, uti clarum est, in aliis S. Scripturae locis, de re historica, geographica et ceteris hoc genus agentibus, applicari non posse nemo non videt. Sane plurimis foedari mendis nonnullos ex hisce textibus optime scimus. Neque mirandum propterea est. Quamvis enim divinum verbum, quoad omnes singulasque partes, S. Scriptura sit, singularique suâ Providentiâ nunquam Deus permiserit ut substantialiter ea vitiaretur, librorum tamen conservatio et transmissio hominum curae atque diligentiae commissa fuerunt. Ea autem est humana fragilitas, ut librarii, etsi omnes erudit et attenti fuissent, universos in libris transcribendis errores vitare non potuerint.

Hinc litteras voces similes etiam librariorum attentissimi confuderunt. Ita, quod exempli causa sit, ubi Massorethicus textus habet (1): *Complevitque Deus DIE SEPTIMO* השביעי (haxxebighi) *opus suum quod fecerat*, textus Samaritanus, Alexander et Syriacus habent: *DIE SEXTO*. Litteras enim ו (vau) et ו (sain), quae in quadratico hebraico alphabeto valde similes sunt, quaeque pro numeris 6 et 7 respective adhiberi tunc solebant, a librariis fuisse mutatas non inverisimilis coniectura est.

(1) *Gen. II. 2.*

Praeterea punctorum, quae *diacritica* vulgo vocant, in S. Scripturas pro vocalibus introductio, alia mendorum fons fuit. Notum enim est hebraicum alphabetum solis antiquitus consonantibus constasse. Ita suis temporibus exaratam S. Scripturam fuisse non obscure hisce S. Hieronymus testatur verbis (1): *Verbum hebraicum רְבָר quod tribus litteris scribitur DALETH, BETH, RES,—vocales enim in medio non habet—pro consequentia et legentis arbitrio, si legatur “dabar” sermonem significat, si “deber” mortem, si “daber” loqui.* Ita res se habuit. Nec nisi sexto vel septimo saeculo Iudaicum vocalium systema a Massorethis excoxitatum et in S. Scripturas introductum fuit. Quamvis tamen eâ iunctâ egerint mente, ut biblii textus pronunciationem, quam a maioribus acceperant, fixam stabilemque redderent, dubium tamen non est, quin traditio de hebraici textus pronunciatione post tot longa saecula magis minusve fuerit corrupta, atque differentiae illae, quae massorethicum textum inter, vocalibus instructum, et antiquas versiones extant, satis clare demonstrant pronunciationem atque explicationem quoque, quatenus haec pendeat ab illa, pro locorum et temporum ratione variasse. Hinc, ubi Massorethae legerunt (2): אֶלְיָהוּ (eli, eli) *Deus meus, Deus meus,* Alexandrini interpres evidenter legerunt אֶלְיָהֵלְאַי (eli, elai) cum ipsum locum interpretati sint: ο Θεὸς μοῦ πρὸσχες μοι *Deus meus (respice) in me* (3). Hinc Bellarminus (4): *Puncta, inquit, extrinsecus addita sunt, nec textum mutant; itaque possumus, si volumus, puncta detrahere et aliter legere.*

Praeterea alia mendorum fons fuit verborum atque phrasium facta divisio. Iudaica enim quaedam traditio tenet, Moysen

(1) *Hier. ad Dam. Ep.* 36. 13.

(2) *Ps. 21 (Hebr. 22).*

(3) *De Verbo Dei II.* 2.

(4) Cum *Deus meus, (respice) in me* Alexandrinus; *Deus meus, Deus meus* Massorethicus heic legat, vulgata nostra *Deus, Deus meus, respice in me* legendu, ex utroque codice evidenter desumpsit.

Legem tamquam unum vocabulum tradidisse, i.e. nec vocabula nec phrases in Lege distinxisse: quam traditionem veram esse suadent inscriptiones Phoenicum aliorumque semitarum, quae eiusmodi distinctionibus carent. Alexandrinos quoque interpres textum prae manibus habuisse serie continua exaratum, multis demonstrari potest exemplis, cum aliam vocabulorum distinctionem haud raro eorum versio supponat. Ita, Massorethicus hoc modo *Osee VI.* 5. divisit: וְמִשְׁפָטֵין אָוֹר יִצְאָה (uamixfatin or ieze), quod idem est ac: et iudicia “tua” quasi “lux” egredientur. Alexandrini vero interpres eundem locum hoc modo divisorunt: וְמִשְׁפָטֵי נָאוֹר יִצְאָה (uamixfati nor ieze) cum eum verterint textum: τό κρίμα μοῦ ᾧς φῶς εξελέσεται et iudicia “mea” quasi “ignis” egredientur.

Hinc concludere possumus non solum S. Scripturam in iis textibus, qui ad fidem morumque regulam non pertinent, mendis vitiari posse; sed etiam iisdem in locis revera esse corruptam: non tamen substantialiter.

Quid igitur dicendum de Biblici Hexaemeri textu? Estne ullo unquam vitiatum mendo? Nequaquam. Id fluido sequitur ex hoc quod Sacrae Scripturae versiones sive graecae antiquae: *Alexandrina*, nempe, *Aquila*, *Theodotionis*, *Symmachii*, sive ex *Alexandrina* immediate derivatae: *Vetus Itala*, *Agyptiacæ*, *Aethiopica*, *Gothica*, *Armeniaca*, *Syriacæ*, *Slavonicae*, *Arabicae*, sive immediate ex exemplari hebraeo: *Samaritana Pentateuchi versio*, *Peschito*, et ex *Peschito* derivatae, sive etiam *versio latina vulgata*, in hoc tandem unum omnes conspirent, ut hebraicum de Hexaemero exemplar ita sonans fideliter exprimant:

| | |
|---|---|
| וַיַּהֲיֵךְ בָּקָר וַיַּהֲבָקֵר vaiehi ghereb vaiehi boker | Et factum est vespero et factum [est mane] |
| יּוֹם אֶחָד יוֹם שְׁנִי iom ehad... iom xeni... | dies unus... dies secundus... |
| רְבִיעִי שְׁלִישִׁי relixi... rebighi... | tertius... quartus... |
| הַשְׁבִיעִי הַמִיָּשִׁי hamixi... haxxixi... | quintus... sextus. |

10. Quae mira versionum consensio iam Patrum temporibus extitisse, quos iis usos esse constat in Geneseo explicando, ipsorum testimoniorum invicte demonstratur. Nos hic, ceteris brevitatis gratia omissis, praecipuarum veterumque versionum, ex quibus aliae originem ducunt, testimonia producimus.

Ita quod ad *Alexandrinam* attinet *versionem*, Origenes, qui, ut Hieronymus habet, *hebraeam linguam contra aetatis gentisque suae naturam didicit* (1), *Alexandrinam* ceterasque graecas versiones ita cum hebraico exemplari composuit, ut unico quasi intuitu quid in illis, quid in hoc esset, facile conspiceretur. Iamvero cum ipse in *comm. ad Gen.* quaedam, quae ibi narrantur, cum diebus realibus componere nequisset, ad dies, quas *ideales* vocavit, configere coactus est, cum eas omnino excludere non potuisse. Quod quidem libentissime fecisset ad obortas difficultates declinandas, nisi eas in omnibus graecis versionibus comperisset.

Quod insuper probat in hebraicum exemplar, quo usi sunt Alexandrini interpretes, massorethico antiquius, eosdem iam fuisse dies relatos; cum Origenes multo ante Rabbinos massorethas vixisset.

Augustinus ipse, qui regulam nobis tradidit ad fontes erroneos dignoscendos, non modo *veterem Italam*, quam saeculo II labente iam extitisse testatur, adhibet, sed eam etiam esse praferendam hisce nos admonet verbis: *In ipsis interpretationibus Italam ceteris esse praferendam, quippe quae verborum tenacior sit cum perspicuitate sententiae* (2). Iam vero difficultatibus et ipse pressus, nunquam Hexaemeri dies exclusit, sed aliud potius divulgulum quaesivit in diebus idealibus (3).

Ita etiam Ephraem Syrus versione *Peschito* usus est, eamque *versionem nostram* appellavit. Is vero in suo *ad Gen. commentario Op. I. I.* dies Hexaemeri omnino naturales tuetur; quod certum indicium est eas iam saec. IV versionem Peschito continuisse.

(1) *De Vir. ill. 54.*

(2) *Doct. Chr. II. 11, 14, 15.*

(3) *De Gen. ad litt. XXI. lib.*

Ad Vulgatam autem versionem quod attinet, quam tridentini Patres, utpote *veterem et vulgatam editionem, quae longo saeculorum usu in Ecclesiâ probata esset, praedicationibus et expositiōnibus pro authenticâ inter latinas, quae eo tempore circumferebantur, habendam esse solemni decreto declararunt*, sciendum est Hieronymum, S. Damaso iubente, novam protocanonicorum V. T. librorum latinam interpretationem, qualis nunc in Vulgatâ est, de hebraico ipso exemplari, utpote ceteris praestantiori et facilitiori, fecisse. Constat vero, iam iis Hieronymi temporibus dies Hexaemeri Vulgatam nostram continuisse, eo quod Hieronymus ipse (1), ut difficultates declinaret, quas alii interpretes iam fuerant experti, nunquam eas exclusit; sed potius litterali dierum sensui ut plurimum adhaerebat, licet quandoque allegorico sensui indulgeret.

Notum autem est criticae sacrae praceptum illud, quod nobis interpretes tradunt: *Lectionem quae omnium codicum, versionum, auctoritate munitur, pro verâ et genuinâ admitti posse et debere* (2).

§ 4. An obscurus textus recte dici possit.

11. Tamquam discriminis fontem, et obscurum textum hisce verbis *me minime intellexisse non ambigam* Augustinus recensuit. Iure meritoque id fecit. Reverâ Hieronymus ipse, qui omnium scholarum exegeticarum optimos, eo tempore florentium, interpretes audierat, qui hebraicam linguam ab ipsis Hebraeorum praestantissimis magistris didicerat, quique in vertendo sese iam ipse non parum exercuerat, se aliquando non recte *hebraicum intellexisse* textum non semel fassus est. Ita cum *Is. XIX. 17*:

והוּרָה אֲדֹמֶת יְהוּדָה לִמְצָרִית לְחַנָּא
vehaieta ademat iehuda lamizrait lecagga

hisce verbis transtulisset et erit terra Iuda Aegypto IN FESTIVITATEM, eam versionem correxit: *Melius reor, inquiens, etiam proprium errorem reprehendere, quam dum erubesco impe-*

(1) *Quaest. Heb. ad Gen.*

(2) *Cfr. Cornely Introd. Gen. in Libros Sacros Ut. Test. Vol. I. par. 189.*

ritiam confiteri in errore persistere, eundem textum vertendum censuit: IN PAVOREM; quae lectio in Vulgatam clementinam recepta est. Ad rem tamen nostram quod attinet, non heic agi de voce ignotâ atque ambiguâ omnibus in comperto est: quid enim τὸ ίων (iom) dies significet nemini, quod sciam, in dubium venit. Hinc merito Cl. De Hummelauer in opere: *Le récit de la Création Cap. I: Le récit de l'oeuvre des six jours est un des plus "faciles" de la Bible hébraïque, à tel point que les grammariens le donnent comme premier exercice pour les commençants. Tout récemment encore un de nos critiques est resté stupéfait de cette affirmation. Elle est vraie, cependant. Qu'on nous montre les difficultés de grammaire au de syntaxe!... Pour le reste le style est narratif, relevé taut en restant simple; comme il s'agit du monde visible, toute la description est translucide et facile à saisir.*

s 5. Interpretis partes.

Restat igitur ut interpres catholicus, naturalistarum assertis solido fundamento parentibus reiectis, ea quae certis argumentis vera esse demonstrantur Biblico Hexaemero quâ ratione non adversari ostendat; quâ, nempe, nondum astris constitutis, dierum noctiumque vices (v. 5—13), quod sane ab astronomicis placitis abhorret; quâ plantae illae, quae lentis oculorumque bonatistarum aciem effugientibus incrementis adolescent, unico tantum die ad maturitatem sint productae (v. 11, 12, 13), quâ, fossilia in terrae visceribus delitescentia, strata stratis superfusa, lenta longorum, uti geologi docent, saeculorum deposita, tam exigno sex Hexaemeri dierum intervallo sint perfecta; et ita porro.

13. Quod ut assequerentur viri pietate doctrinâ clarissimi a priscis iam temporibus peritiam suam contulerunt, systemata excogitaverunt. Satis sit Origenis, Augustini, Ephraem Syri, Hieronymi, Ambrosii, Ioannis Chrysostomi, aliorum meminisse, quorum in Gen. commentaria in immensam molem excrevere. Nos hic tamen praecipua recensebimus systemata, de singulis, eâ

quâ par est erga tantos viros reverentiâ, sententiam nostram pandemus. Quid tandem teneamus nos ultimo loco dicemus.

§ 6. *De Creatione Simultanea duplex opinio.*

14. Locum hic esse puto, quo id nos animadvertisamus, quod interpres illi, qui creationem, ut aiunt, "simultaneam" pro viribus tuentur, non omnes unum idemque, ni nos omnia fallunt de eâdem sentiant. Sunt enim qui, cum Card. Caietano, (*v. Gen. 1.*) "*In principio creavit Deus coelum et terram*", *Hexaemeri opera compendio enuntiare* autumantes, res omnes iuxta speciem suam unico instanti esse a Deo creatas contendant: quorum Origenes illustratur patronus; alii e contrâ eundem Geneseos versum *aliquid divinum opus a reliquis operibus Hexaemeri diebus* (*v. 5—31.*) *effectis distinctum esse rati*, veram illic materiae informis unico instanti creationem describi, praeeistentis autem hic materiae formationem denotari arbitrentur.

Iam nunc tamen fateri liceat hanc posteriorem esse inter interpres, qui simultaneam, ut vocant, tuentur creationem communiores sententiam, eo quod prior vim ipsi orationis contextui inferat. Siquidem, uti optime advertit Cl. Hummelauer *Com. ad Gen. p. 89.* versum Geneseos alterum: *terra autem erat inanis et vacua* conditionem terrae Hexaemero *praeviā* describit.

Praeterea eiusdem versus verba illa וְהָרֶץ הִתֵּחַ (vehaerez haieta) *terra autem erat* nonnisi cum primo intime connectitur versu, ostenditque תְּהוּ וּבָהוּ (tohu-va-bohu) *inanis et vacua* fuisse terram in illâ coeli terraeque creatione. Proinde creationem illam Hexaemeron praecessisse, opusque illud esse ab Hexaemeri operibus distinctum nemo non videt.

In priori vero hypothesi וְהָרֶץ הִתֵּחַ (vetehi haerez) *terra autem erat* non vero וְהָרֶץ הִתֵּחַ (vehaerez haieta) *terra autem fuit* auctori sacro scribendum esset. Quamvis vero hic de utroque systemate pauca delibare brevem hanc nostram disceptationem deceat, neutrum tamen nos amplectendum proposuimus, quippe id utrumque peccat quod cum prioris hypothesis fautores ad

suum sensum Scripturae verba detorqueant, ut obortas difficultates declinent, posterioris, e contra, litterali verborum sensui presse inherentes, Biblicum Hexaemeron scientiis naturalibus minime adversari ostendendo impares omnino efficiuntur.

§ 7. *De Dierum Idealium Systemate.*

15. Et re quidem verâ, ut a priori initium sumamus Origenes, quo facilius difficultatem effugeret, quae exurgere sibi videbatur ex eo, quod lux ante sidera orta legeretur (*Cfr. v. 3. v. 14*), docuit res omnes iuxta genus suum a Deo unico temporis instanti esse creatas, duabus praesertim Scripturae testimoniis innixus, *Eccl. XVIII. 1: Qui vivit in aeternum creavit omnia simul*, et *Gen. II. 4: Ista sunt generationes coeli et terrae, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus coelum et terram*. At si, uti ratiocinatur Origenes, omnia *simul, unico die* fuerint creata, iam tota ea dierum distinctio per se corruit. Hexaemeri proinde dies “ideales” non “reales”, *rerumque creatarum ordinem* non vero *temporis successionem*, uti adversarii putant, exprimere censuit: in iis nempe, quae unico instanti sunt creata, erat quidam dignitatis ordo, succendentium invicem Hexaemeri dierum ordine expressus. Ita, dignitate reliqua omnia excellit creatura angelica; proxime firmamentum accedit, eo quod mundi corporei supremum sit, inde terra; in quâ natura herbarum atque lignorum potentialiter invenitur; tandem ornatur sideribus firmamentum, äer, aqua ac terra animalibus repleteur.

16. Inter latinos Patres idem sensisse fertur Augustinus. Quid autem revera senserit hypponensis Doctor, quibusque de causis eo senserit modo, postea dicemus. Exinde systema, quod vulgo “ideale” vocant, originem habuit.

17. Labili tamen hoc sistema inniti fundamento plurimis nec spernendis argumentis adversae sententiae ostendunt patroni, Profecto, ii cum primis animadvertis, cum interpretis sit orationis contextum clarum, meliori quo fieri posset modo, reddere a difficultatibus expedire, sistema illud obscuriorem de Biblico

Hexaemero narrationem reddit, eamque ad plures ambages difficultatesque exponit. Nam, positâ omnium rerum iuxta genus suum unico instanti creatione, plura inter se pugnantia haberi, iam facile senties: terram nempe in statu **תְּהוּ וּבָהוּ** (*tohu-va-bohu*) existentem (v. 2) uno eodemque temporis momento ac vidisset Deus (v. 31) cuncta quae fecerat et erant valde bona; tenebras super faciem abyssi (v. 2) eodem temporis momento ac sol radiis micaret (v. 14); terram aquis submersam (v. 7) eodem instanti ac ipsae in unum locum congregarentur (v. 9).

18. Advertunt praeterea ad rem minime facere testimonia, quae Origenes ad suam tuendam sententiam in medium profert. Non *Ecclesi XVIII.* testimonium, nam, primo, sacer scriptor eâ voce “*simul*” usus est, ut *omnia a Deo creata fuisse exprimeret, omnia nempe pariter, universim, sine exceptione a Deo sunt creata;* quod manifestius appareret si graecam conferas sententiam: **ἔκτισε τὰ πάντα κοίνη** quae latine versa aequa valet ac *creavit omnia communiter.*

Praeterea, non exiguum huic eorum sententiae ex sacrae hermeneuticae regulâ illâ, quam parallelismum verborum δύο λόγον vocant, emolumenntum deducunt; quatenus plurimis clarioribus sacrae Scripturae locis, ubi τὸ “*simul*” usurpatum est, inter se collatis, eâ voce significari *pariter, communiter,* certo comperiant. Ita *ps. XIII: Omnes declinaverunt simul, ps. XLVIII: simul in unum dives et pauper; ibid. simul insipiens et stultus peribunt:* hisce quidem in locis τὸ “*simul*” *communiter pariter, nullo excepto* significari nemo non videt. Idem tandem sibi vult S. M. Ecclesia quando in symbolo Nicaeno Const. ita profitetur: *Credo in Spiritum Sanctum... qui cum Patre et Filio simul adoratur;* nequaquam enim Spiritum Sanctum *eodem tempore* ac Patrem et Filium adorationem, sed potius *pariter communiter* adorationem aequalem decere profitetur.

Tertio, id ipsum Siracidis evincit consilium. Notum enim et illud sanae hermeneuticae principium est: *Attendendum scribentis consilium sive in integris libris, sive in singulis eorum partibus; ut qui sensus huic repugnet eum respicias, cum-*

que accipias, qui unus aut melius aliis huic respondet. (1) Iamvero nullum alium, in ea scribenda capita, sibi proposuisse finem Siracidem, nisi ut omnes doceret tam solem, quam mundum ceteraque omnia a Deo esse creata, omniaque proinde omnino Dei misericordiam arguere, Cornelius a Lapide, (2) praeter alios, certiores nos facit. Quantopere autem, ut idem auctor concludit, ad hoc sit inconveniens ut “*omnia simul*” id est “*eodem instanti temporis*” creata fuerint, nemo non videt; quam optimè e contra huic Siracidis proposito conveniat ut omnia simul sive *pariter communiter, nihil excepto*, a Deo, Summe Bono, ortum duxerint, manifesto appetat.

Quarto, at etiamsi eo loco temporis notionem huic inesse verbo malis, advertunt, non id necessario *unicum temporis momentum* exprimere debet; nam rerum successio ita intelligi potest ut nempe Deus, nullâ interpositâ morâ, per sex continuas dies omnia condidisse dicatur.

Quinto, quod si neque hoc per summum nefas adversarii concedere velint, ipsi reponunt, ad creationem proprie dictam τὸ “*simul*” esset referendum, creatio enim voci hebreae נֶרֶב (*bara*) respondet, cuius notio est actus solius Dei proprius ex nihilo producentis. Ex eâ vero materiâ “*inanis et vacuâ*” sequentibus Hexaemeri diebus non tam Deus *creavit* quam *formavit, distinxit*. (Cfr. par. 13.)

19. Neque alterum Gen. 11. 4 testimonium ad rem facere iidem hypothesis Origenis adversarii docent. Ii enim animadvertunt Moysen Legem “tamquam unum vocabulum tradidisse” phrasibus verbisque minime inter se, uti nunc protestant, distinctis. Nec nisi postea, privatâ tantum auctoritate, Legem, sicut et ceteros S. Scripturae Libros, in capita versusque distinctam esse scimus. Quare cum non publicâ Ecclesiae auctoritate ea sit facta distinctio, sacrae Scripturae interpretes tantum non omnes monent eam tanti non esse ponderis, ut in sacris Litteris enucleandis negligi ea nequeat. Ita Salmeron *Prol. IX.* Revera, ad hoc testimonium quod attinet A. Hummelauer *Com. Gen.* advertit aliquos interpretes versum *Gen.*

(1) *Patritii De Interp. S. Scrip. Pars I, Reg. III § 2.*

(2) *Comment. in Eccl. c. XVIII. pag. 434.*

IV pro insequentium inscriptione, alios e contra pro praecedentium subscriptione accipere. Quidquid vero de hac quaestione sit, Origenis sententiae adversarii cum Knobel et Dilm. versum quartum in duas dispescunt partes et ab alterâ novam sententiam ordiuntur, trahentes haec versus quarti verba: *In die quo fecit Dominus Deus coelum et terram ad versum quartum: omne virgultum, cetera.* Nec tamen haec, uti iidem advertunt, sine ullo fundamento divisio est; sic enim primum tollitur pleonasmus ille qui secus haberetur cum voce בְּהִבָּרָאָם (*behibaram*) “quando creata sunt.” Quorsum enim minime obscura sententia “quando creata sunt” alterâ “in die quo” explicanda est? Itaque si novam hisce verbis sententiam ordiaris, ita ut versum Geneseos quintum legas: *In die quo fecit Deus coelum et terram et omne virgultum agri antequam oriretur in terra et cetera,* analogiam habebis cum versu primo Geneseos capite quinto: *Hic est liber generationis Adam, in die quâ creavit Deus hominem.* Ex quo sane docemur non quid praefiniti temporis τό “in die quâ” significare sed generaliori acceptione “quando” sumi. Quod igitur statuunt et de testimonio ab Origene allato, iuxta ea quae iam disseruimus (par. 17) de illâ hermeneutice sacrae regulâ, quam parallelismum verborum ὅμολογον vocant.

20. Ceterum, adversae sententiae ingenue fatentur patroni, eam de luce ante sidera orta difficultatem quae Origenis menti obversabatur, intelligere nequeunt. Mirum! Nonne Origenes, qui dux fuit et antesignanus eorum, qui res omnes iuxta genus suum unico temporis instanti creatas fuisse docent, et ipse primus lucem et sidera et solem et omnia cum תְּהוּ וּבְהוּ (*tohu-va-bohu*) “inanis et vacua” orta esse profiteri deberet?

21. Ne tamen ob id Origenis difficultatem effugisse videamus, reiectâ quam supra memoravimus (par. 13), Caietani opinione, utpote quae vim ipsi orationis contextui inferat, quaestionem hic potius instituunt, utrum nempe lux sine sole concipi revera nequeat, seu utrum sol unica lucis fons atque

origo revera sit dicenda. At, sine sole primâ Hexaemeri die lucem haberi potuisse docent Beda, Hugo, Magister, Thomas, Bonaventura, Liranus, Abulensis, Dionysius. Id ipsum de origine phoenomeni illius, quod nostrâ tempestate “energia raggiante” vocant et ipsi recentiores physicorum cultores plane sentiunt. Lege v. g. Ant. Roiti Elem. di Fisica v. II par. 3, qui ad rem nostram ita scribit: “Qualunque corpo irraggià dell’energia continuamente e quando la sua temperatura superi un certo limite esso da oscuro diventa *luminoso*, così si rende visibile senza che ci sia bisogno del concorso di altri corpi”. Lucem tandem sine sole concipi revera posse novum, quod “Radium” vulgo vocant, inventum confirmat.

§ 8. Quid revera senserit Augustinus.

22 Sed et Augustinus huic Origenis systemati favere perhibetur; ego tamen hypponensis Doctoris auctoritatem adversae sententiae patronis potius suffragari quam refragari pro comperto habeo. Cuique enim Augustini opera primum legenti manifesto patet sensisse eum non ibi de idealibus, sed de realibus et quidem civilibus agi diebus. Id ille, ni fallor, non obscure innuit, sive cum dies a mane ad mane computet, sive cum primam Hexaemeri diem eo modo dici affirmet, quo “triginta dies habere mensem” dicimus. Verum, difficultatibus pressus sive veris sive apparentibus ex rerum naturâ obortis, ad ideales dies, animo perquam reluctantate, confugit, nosque vult interea monitos: “Quisquis ergo, inquiens, non eam quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam quae non in prophetâ figurata sed in hoc creaturarum condizione proprie meliusque posset intelligi: quaerat et divinitus adiutus inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego aliam his divinae Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam” (1).

23. Ita cum ipse, luminaribus nondum constitutis, priores tres Hexaemeri dies mente consequi nequiret, primæ diei

(1) *De Gen. ad litt. IV. 28.*

lucem incorpoream, nempe angelos, mane autem et vespere angelicam rerum, sive in se, quam vespertinam, sive in Verbo, quam matutinam appellavit, ex ordine cognitionem est interpretatus. Ex utrâque vero simul coniunctâ cognitione unica est efformata, quam dies vocavit, quamque sex actibus distinctam, Hexaemeri diebus respondere docuit. At, aliud quidem est dierum noctiumque vices ullo sine luminis fonte, quicumque tandem ipse sit, concipi non posse, aliud autem, fontem quemdam, qui orbi prae fulserit, consistere ante solem non potuisse. Illud quidem admitto, hoc tamen negare non erubesco, tum maxime cum id ipsum unanimes, quos supra memoravimus, docuerint Patres (par. 21). Quo luminis fonte semel constito, iam tota Augustini evanescit difficultas recentiorumque physicorum placitis circa lucem nihil est conformius, quam ut dierum noctiumque vices contingere potuisse asserueris. Nam quid tandem systemate illo, “*ondulationis*,” ut aiunt, omnibus fere in scholis hac nostrâ aetate recepto, edocemur? “*Si suppone, ut verbis Cantoni utar, diffuso negli spazii celesti e nello interno dei corpi un mezzo estremamente sottile ed altamente elastico, denominato etere, il quale trasmette, secondo le leggi del moto d' onda le rapidissime vibrazioni di cui sono animate le particelle dei corpi che irradiano il movimento.*” (1) Quare sponte suâ illa dierum noctiumque vicissitudo sequitur, cum aether, de quo sermo est, motu irradiente e corpore luminoso accepto, nonnisi medium fere orbem circa axim rotantem vicissim attingere possit.

24. Sed, quod nostra magis refert, fons atque omnium aequi-vocationum origo aliunde maximâ ex parte sunt repetenda. Augustinum enim mendis versionis illius latinae quam vulgo “*Italam*” vocant, quaque ipse utebatur, deceptum fuisse manifesto patet. Rei illustrandae causâ unum vel alterum exemplum in medium proferre abs re puto non erit. Ita *de Gen. ad litt.*

(1) *Elem. di Fisica Vol II. pag. 65.*

lib. XII c. 2 v. 5 Augustino legenti: *cum factus est dies, fecit Deus coelum et terram* dies aliquis factus videbatur, antequam coelum et terra actu crearentur: quam proinde nullimode, uti cuique clarum est, ipse explicare potuisset, nisi diem *idealem* excogitassem. Quâ tamen ratione versus ille legi debeat, quâ dispescendus, intelligendusque sit, iam pro re nostrâ satis superque vidimus (*par. 19*). Ita etiam *Conf. XII*, *Migneae Ed.* 32. 325 cum in eâdem quâ utebatur versione legeret *Gen. 1. 1. Terra autem erat invisibilis et incomposita, nil planius faciliusve erat, quam ut coelum invisibles angelos, terram autem informem materiam interpretaretur.* At **תְהוּ וּבָהוּ** (*tohu-va-bohu*) *inanis et vacua* non id praecise significare ex parallelismo, ut aiunt, verborum in primis non obscure discimus. Ieremias enim *c. 4 v. 23*: “*Aspexi, inquit, terram et ecce vacua erat et nihili רְהוּ וּבָהוּ* (*tohu-va-bohu*) *inanis et vacua et coelos et non erat lux in eis...* Haec enim dicit Dominus: *Deserta erit omnis terra*”. Quo in loco **תְהוּ וּבָהוּ** divini decreti effectus, *terram desertam quidem nequaquam vero invisibilem* praeseferre dignoscitur. Id sane ipsum omnes intelligunt versiones, si Italam fortassis excipias. Nam **תְהוּ וּבָהוּ** (*tohu-va-bohu*) *inanem et vacuam* Vulgata, **αοράτου καὶ ανατασενόστον** (*destitutam luce et ornatu*) LXX, **αργον καὶ αδιακρίτον** (*iners et indistincta*) Symmachus vertit.

Tandem, ne hac in re multus videar, adductus Augustinus est, praeter ea, quae iam suo loco refutavimus, ut peculiarem Origenis, de rebus iuxta genus suum unico instanti creatis, sententiam, reluctantе licet animo, amplecteretur, eo quod *Gen. II. 4. seq.* legeret: *Fecit Deus coelum et terram.. et omne virgultum agri ANTEQUAM oriretur in terrâ*: quae verba sibi innuere videbantur fecisse Deum virgulta *antequam* in terrâ orirentur. At rursus ex verborum parallelismo vocem **תֶרֶם** “*nondum*” non vero “*antequam*” significare noscimus, Ita *Ex. IX. 30*: *Novi autem quod et tu et servi tui necdum תֶרֶם timeatis Dominum Deum tuum.* Praeterea ex

ipso verborum parallelismo edocemur idem esse **יְהִי** **שׁוֹد** quod ita ut sensus sit: *omne virgultum nondum erat visibile, nondum apparuerat*: quod quam alienum sit a systemate quod Origenes prlmus excogitaverat, nemo non videt.

25. Antequam huius tradeudi systematis finem imponam, aliam eiusdem Augustini mihi liceat innuere difficultatem, quam ipse ex infinitâ Dei potentiat petivit. Ita enim *de Cath. rudibus* c. 17: “*Poterat omnipotens et uno momento temporis omnia facere:*” tanto enim, ut aliqui recentiores aiunt, divino huic attributo est congruentius ut omnia Deus iuxta genus suum unico temporis instanti creasset, quanto incongruentior contraria opinio. At cum de re revelatâ sit sermo non id est quaerendum, quod Deus facere potuisset, multoque minus, nisi cum recentioribus quibusdam ineptire velis, quod facere debuisset, sed quid potius reipsa fecerit omni nos studio attendere debemus. Iamvero Hexaemeri formam mosaica de rebus creatis narratio praeferre omnibus in comperto est, nec sine infinitâ summi Dei Sapientiâ, quae “*Attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter*” (*Sap. 81*) id esse eo modo a Deo revelatum scimus. “*Nam, uti optime observat Marchini, (1) Scriptura Sacra et proinde creationis historia non philosophorum vel oblectandis vel instituendis ingenii, sed animis hominum instituendis traditae sunt.. Plus vero temporis telluri quam soli et ceteris astris condendis Deus impendit ut ostenderet se bonitatis suae significandae causa res terrestres ad utilitatem nostram et commodum finxisse... ut nos vicissim singulari amori amorem rependeremus.*” Teste praeterea auctore inspirato ideo praecise hoc Deus fecit, ut septimae diei requiem commendaret: ad dies enim Hexaemeri Geneseos auctor provocavit quoties rationem illius pracepti reddere voluisset: “*Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est...*

(1) *De Div. Lib. Sacr. pag. 44.*

Sex enim diebus fecit Dominus Coelum et terram... et requievit in die septimo". (Ex. XX. 9 seq.)

26. Quibus ferme de caussis, iure merito Origenis systema paucos asseclas invenisse traditur, ceteri vero cum pro certo habeant nunquam esse vim orationis contextui inferendam, quod agere videntur qui verba ad suum sensum detorquent; quodque tandem nihil aliud est, quam ipsum eliminare contextum; sed potius, quod veri interpretis est, pro viribus illum tuendum atque elucidandum ad dies "reales" confugerunt.

§ 9. De Realium Dierum Systemate.

27. Iam ad posterius de realibus diebus systema pervenimus, iamque locus est ut praemoneamus, nihil de Biblici Hexaemeris naturā unquam Ecclesiam definisse. Cum igitur hac de re nihil praeter dierum numerum de fide sit, haud mirum quod et hic catholici interpretes, qui dierum huiusmodi naturam eo consilio enucleaverunt ut Biblicum Hexaemerum nullimode cum scientiis adversari ostenderent, in diversas abidere sententias.

28. Revera sunt qui voce οἵ sensu litterali improposito acceptâ, temporis periodos indeterminatas significari arbitrentur. Alii, e contra, eâdem sensu litterali et quidem proprio intellectâ, nonnisi de diebus vulgaribus, viginti nempe quatuor horarum in mosaicâ agi narratione contendunt. Hinc duo praecipua, *periodistarum vulgaristarumque* orta esse systemata dignoscuntur. De utrisque pauca dicere nostrum est, quamvis rursus neutrum amplectemur, utpote ad rem nostram impar, uti ex infra dicendis satis manifesto patebit.

§ 10. De Periodistarum Systemate.

29. Itaque a periodistis initium capientes, eorum systema plurimis argumentis sive ex hermeneuticae sacrae regulis, sive ex ipsâ rerum naturâ petitis ii fundare conantur. Revera ipsi aiunt, ex parallelismo verborum ὥμελογον vocem οἵ (iom) *idem* longiorem quandoque temporis durationem in Sacris

Scripturis exprimere facile probari posse, multaque eiusdem Sacrae Scripturae testimonia, praesertim vero Gen. 24 “*In die, quo fecit Dominus Deus coelum et terram.*” Gen. 3. 5. “*In quocunque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri*” in medium proferunt ad suam thesim confirmandam. Praeterea, inquiunt, idipsum auctoris sacri consilium evincit: Deus enim id tandem in Hexaemero Moysi enarrando intendebat, ut hebdomadam civilem institueret: cui fini obtinendo hebdomada periodorum satis fuit.

Idipsum, aiunt, orationis contextus confirmat. Cum enim iuxta hanc hermeneuticae regulam eas dies omnes eodem sensu accipere debeamus, cumque neque primae tres dies luminaribus nondum constitutis, neque septima dies, vesperâ carente, naturales esse potuerint, hinc neque alias dies vulgares esse intelligere praecepimus. Haic tandem systemati ex ipsâ rerum naturâ robur accedere contendunt, strata geologica sex quasdam epochas Biblico Hexaemero respondere pro certo habentes.

30. Haec fere sunt, quae in suum commodum Periodistae afferunt argumenta. At, ni fallor, iis bene perpensis, nullo solido inniti fundamento hoc tandem sistema comperimus.

31. Nam quoad primum, quod ex verborum parallelismo adducunt, argumentum, haec tria advertas velim: Primo, nequam longam praefinitamque periodum iis intelligi in locis, cum potius quid indefiniti temporis, sive diebus vulgaribus longioris, sive brevioris, ibi facile invenias, vocemque “*dies*” eamdem quam “*quando*” vim habere cognoscas, uti satis superque pro re nostrâ (par. 19) vidimus. Deinde velim attente consideres hoc Geneseos loco vocem יומ (iom) diem generaliori acceptione “*quando*” nequam sumi posse cum hic de diebus ערב (ghereb) vespere בוקר (boker) mane habentibus sermo sit, de diebus nempe naturalibus viginti quatuor horarum: non enim ea verba, uti Periodistis placet, translati sensu pro *initio* et *fine* sumi possunt, hoc enim in casu durationem, quae vespere incipiat mane finiatur haberemus: proindeque Biblicum Hexaemeron sex tantum noctibus constans

haberemus, quae contra mosaicam narrationem noctes diesque praeferentem complexio est. Velim, tertio, perpendas primas diei lucem ita *diem* Deus appellavit, ut aliis diebus vocantur *plantaes, cete, aves*; atqui haec nomina sensu litterali proprio accipienda esse omnes admittunt, significantque ea praecise quae hodie nomine plantarum, cete, avium veniunt. Verum utique est auctoris consilio aequae conferre Hexaemeri dies si sensu litterali tum proprio de vulgaribus diebus tum impropto de periodis longioribus accipientur: exinde tamen nequaquam logice deducitur sensu litterali impropto eas esse necessario intelligendas. Quin immo orationis contextui sensus litteralis proprius quantopere conveniat iam satis pro re nostrâ probatum modo est (par. 31).

32. Neque alterum argumentum de diebus Hexaemeri unâ eâdemque ratione intelligendis, quo Periodistae suum tuentur systema, rem confidere puto. Tres enim priores Hexaemeri dies quas Periodistae appellant, periodos fuisse gratuita assertio est; neque solidum fundamentum id esse censeo quod sol, sine quo dies concipi nequit, adhuc non extiterit, nam et alium lucis fontem haberi potuisse, iam docuere, quos supra memoravimus, Patres (par. 21). Quo lucis fonte semel constito, dierum noctiumque vices contingere potuisse iam supra (par. 23), quantum satis pro re nostrâ sit, arguimus. Neque dici potest septimam diem caruisse vesperâ nondumque finem accepisse: ex principio enim iam allato, et a Periodistis admisso de diebus nempe eâdem ratione accipiendis contra sequitur, cum eiusdem ipsa naturae esse debeat ac ceterae Hexaemeri dies; quae suam singulac habuere vesperam. Causam autem rationemque cur eius vesperae mentio nulla fiat, eam esse dignoscimus quia Biblici Hexaemeri structura ultra sextam diem ab Auctore Sacro non protenditur, nihil in septimâ Deus legitur verbis iussisse, nihil re factum est ita, nihil boni praedicatur.

33. Animo tamen non deficiunt Periodistae, et ex re geologicâ desumpto arguento, suum systema comprobare co-

nantur. Duo, ni fallor, nostris temporibus invectae sunt hypotheses, ut stratorum geologicorum natura, dispositio, vice explicarentur. Altera, cuius Georgius Cuvier merito dux appellatur, strata illa, variis ipsius naturae cataclysmis repentinō cōtectis, terraeque superficiem vicissim mutantibus, efformata supponit. Unde *Catastrophistarum* systema. Altera, e contra, iisdem, quae nunc, legibus naturae, longis periodis lente agentibus, ea strata esse formata sentit. Unde *Quietistarum* systema ortum habuit, cuius Car. Lyell et Darwin merito patroni recensentur.

34. Attamen prius *Catastrophistarum*, ut aiunt, sistema quam impar sit nostro Hexaemero cum stratis conciliando, Periodistae facto suo ostendunt; cum ipsi, eā hypothesi reiectā et alias invexerunt. Sunt enim qui fossilia, a veris plantis animalibusque ortum habentia, in terrae viscera vi aquarum obruta, post noeticum cataclysmum efformata esse contendant: inde *Diluvianistarum* systema originem habuit. Alii, e contra, strata omnia ante Biblicum Hexaemerum referunt, contendentes immensa tempora inter primam creationem et תְהוּ וּבָרוּ (*tohu-va-bohu*) *inanis et vacua* intercedere potuisse, ipsamque Scripturam Gen. I. non tam terrae formationem quam reformationem innuere. Inde *Restitutionistarum* systema.

Sed eo mens nostra unice tendit ut imparia Biblico Hexaemero cum profanis scientiis conciliando, quae praecipua invecta sint systemata demostremus, ut tandem rationem aliquam, quae demum cumque illa sit, quā res dilucidari possit, suggeramus; nam verum conciliandae scientiae cum revelatione systema existat necesse est (par 8.). Cum vero *Restitutionistarum* *Diluvianistarumque* systema strata geologica efformata sive ante Biblicum Hexaemerum, uti prioribus, sive post, uti posterioribus placet, statuentia, ad rem nostram nihil conferant, de iis verbum facere, nedum refellere, opus non esse, nemo non videt.

35. Hinc *Catastrophistarum Quietistarum* systema excepit. Hi tria praecipua in orbis visceribus fossilium genera, stra-

torum instar superfusorum formata distinguentes, quae antiquiora sunt *palaeozoica*, quae recentiora *caenozoica*, quae autem media *maesozoica* appellant. Iam vero ea strata attente perpendentes Periodistae, in stratis palaeozoicis plantae, in maesozoicis animalia aquatilia, amphibia, in caenozoicis autem, praeceteris, mammalia abundare comperiunt: indeque miram eorum stratorum cum Biblico Hexaemero concordiam concludunt, eo quod et in hoc Deus tertiam die plantas, quintam volatilia et aquatilia, sextam vero mammalia creasse legitur. Quae singula strata cum unicam naturali die efformata esse dicere absonum sit: hinc concludunt eas Hexaemeri dies ad longiores respondere periodos, in quibus eas dicitur effecisse Deus.

36. Ipsi tamen Periodistae quo securius huic se committunt argumento, eo clarius suum vacillare systema ostendunt. Porro singula singulis Hexaemeri operibus respoudere strata, illud primum docent. At, quaerunt alii, num luminarium, quartae Hexaemeri diei operis, habeatur stratum haberique possit? Praeterea, viventium ordinem priorem in Hexaemero esse exprimendum Periodistae tradunt, qui in antiquioribus stratis *numero* et *varietate* abundare dignoscitur. Optime quidem, reponunt alii, ergo iuxta hanc Periodistarum regulam aquatilia et volatilia plantis, quinta tertiae Hexaemeri diei praeferrri deberet; cum animalium species plus viginti millibus una cum paucis plantarum speciebus in stratis palaeozoicis antiquioribus sunt repertae. Tertio, illum dicunt Periodistae viventium ordinem in uno eodemque strato esse praferendum qui *perfectioribus speciebus* illustretur. At si ita esset, arguunt adversarii, in stratis palaeozoicis, tertiae Hexaemeri diei iuxta Periodistas respondentibus, amphibia anteponenda essent, cum haec palaeozoica strata perfectioribus amphibiorum speciebus illustretur, et plantae, e contra, nobiliores, et arbores frugiferae, cuius in tertiam Hexaemeri die fit mentio, nonnisi in maesozoicis comparent, quae strata quintae sextaque Hexaemeri diebus respondent, quando amphibia et mammalia creata in Biblico Hexaemero leguntur.

37. Ad haec id etiam incommodi accedit, quod argumentum ipsius Sacrae Scripturae sensui adversari videatur. Etenim plantas, quae tum in stratis palaeozoicis cum in maesozoicis et caenozoicis inveniuntur eiusdem esse naturae omnes Botanistae tradunt; proinde ea, quae istis conservandis necessaria habentur, etiam illis talia haberi debent. Verum cum strata recentiora efformarentur sol aderat, sine quo plantas existere potuisse Botanistae omnino negant: ergo et quando strata palaeozoica efformabantur sol adesse debebat: quae tandem contra S. Scripturae sensum complexio evidenter est; Sacer enim Auctor Deum solem quartâ hexaemeri die creantem enarrat. Praeterea Hexaemeri verba: *Dixit Deus: Fiat... et factum est ita... vidit Deus quod esset bonum,* at tente perpendentes, nisi ad nostra detorquere placita S. Scripturae sensum velimus, concludere debemus tum praecise singula Dei opera fuisse confecta, cum id impletum esse legimus, quod a Deo iussum est: ea autem Dei opera eâdem die, quâ iussa sunt confecta esse legimus: at Periodistarum, uti iam innuimus (par. 36), novae sive plantarum sive animalium genera et fortassis nobiliora in stratis non propriis invenisse prohibentur, quod rursus contra S. Scripturae sensum evidenter est.

38. Sed et argumentum, quod intrinsecum vocant, quo labili fundamento superstructum Periodistarum systema facile demonstrari potest heic innuere non abs re esse puto. Stratorum enim naturam Periodistarum epochis respondere profana scientia neque demonstravit neque unquam demonstrare potest. Ad rem Cl. De Hummelauer *Le Recit de la Creation: Paris pag. 142.* “*La science n'a pas encore prouvé et peut-être ne prouvera jamais que l'évolution de notre planète s'est accomplie en six époques objectivement distinctes. Le soi-disant accord se restreint à la second oeuvre du troisième jour, au cinquième et au sixième jours, encore cet accord est-il fort imparfait. Le livre de la nature ne fait pas succéder l'opus ornatus à l'opus distinctionis, il laisse la séparation*

des continents et des eaux se continuer à travers les époques paléozoïque mésozoïque et cenozoïque; il laisse apparaître presque simultanément le règne végétal et le règne animal et nous les montre se développant de front à travers toutes les époques suivantes. Tout cela est en contradiction évidente avec la Bible, qui limite la cosmogonie à six jours, fait précéder l'opus ornatus par un opus distinctionis, et achève les différentes œuvres chacune au jour dit. Si l'on se rappelle combien cet accord laisse à désirer, combien la base fondamentale du Périodisme est insoutenable au point de vue d'une saine exégèse, on s'étonne à bon droit de voir encore quelques savants de grand mérite fonder leurs espérances sur ce système."

§ 11. De Vulgaristarum Systemate.

39. Quae cum ita sint, alii interpres sensu litterali proprio pressius inherentes diebus naturalibus in Biblico Hexäemero agi tradunt, hermeneuticae praeceptum quod primi docuere Patres, praesertim vero Augustinus quodque hisce verbis Salmeron proleg. 9 can 33 explicat, et hic applicandum esse rati: "A propriâ vocum significatione non est recedendum, nisi valida aliqua ratio occurrit, quae ad figuratam locutionem cogat... Hinc iuris prudentes, quorum est de verborum significatione iudicare, non aliter a receptâ verborum proprietate recedendum docent quam si mens loquentis alia fuisse vel ex ipsarum rerum absurditate vel ex aliis manifestissimis indiciis deprehendi possit." Hinc inter canonistas hoc ortum esse axiomâ dignoscimus: "Verba clara non admittunt interpretationem nec voluntatis coniecturam.

40. Principium enunciare facile quidem, non ita tamen illud applicare subinde est. Id revera pro re nostrâ contingit. Hexäemeri dies sensu litterali proprio pro diebus naturalibus accipi debere Vulgaristae docent, hermeneuticam etiam ad hoc invocant regulam. Quâ tamen ratione scientiarum profanarum placita, quae certis argumentis certa esse cognoscuntur, cum diebus naturalibus componi queant, quâ, nempe, nondum astris constitutis, dierum noctiumque vicis (Gen. V. 5-13), quod sane a placitis astronomicis abhorret, quâ plantae illae, quae lentis oculorumque Botanistarum aciem

effugientibus incrementis adolescentur, unicâ tantum die ad maturitatem sunt perductae (*Gen. 11. 12. 13.*) et cetera id genus: en difficultates quas Vulgaristae solvere nequeunt. Autorem sacrum innuere Hexäemerî opera sex diebus esse creata, quae immensis periodis producta esse rerum naturalium periti asserunt; id sane componi nequit, nisi ad miraculum recursus habeatur. Attamen catholiconum interpretum regulam est nunquam esse sine causâ ad miraculum et ad potentiam Dei absolutam recurrendum, sicut inscienter et inepte faciunt nonnulli. Tritum enim vulgatumque axioma illud est, “*non esse entia praeter necessitatem multiplicanda.*” Quod si id in hoc naturali ordine sit verum, quanto validius consistere debeat cum de supernaturali ordine sermo sit. Hinc rursus nova inter ipsos Vulgaristas, ad has difficultates solvendas, systemata suut inventa.

§ 12. De Pianciani Systemate.

41. At Pianciani medium inter Periodistas et Vulgaristas incedens viam, ratusque Biblicum Hexäemerum exprimere quidem vulgares dies, at non necessario continuos, in rerum naturâ sex periodos fuisse tradit, S. Scripturam vero cuiusque periodi primam tantum diem commemorare concludit. At, ni nos omnia fallunt, hoc systema sensui ipsius Scripturae adversatur, cum eodem mane et unam diem esse inchoatam, et alteram completam non obscure doceamur. Rursus docemur non ante singulas dies desiisse, quam opus illis a Deo praestitutum esset absolutum.

§ 13. Mythistarum Systemate.

42. His pressi angustiis nonnulli S. Scripturae inspirationem ad certas, quae de fidei morumque regulâ agunt, partes coangustandam esse rati (par. I) rerum sexiduo creatarum enarrationem fabulosis Indorum, Sinensium, ceterorum cosmogoniis aequiparare non sunt veriti: exinde “*Mythistarum Systema*” ortum habuit, quod supra iam memoravimus (par. I),

quodque sensui Scripturae Traditionisque adversari satis pro re nostrâ ostendimus (*par. 3 seq.*). Nihil praeterea cum mythis Biblicum Hexaemerum commune habere, facili videbis negotio ubi illa cum ipso contuleris. Simplicem enim puramque de rebus creatis enarrationem, quam Moyses nobis reliquit plurimis arbitrariis figmentis ethnicoes deturpasse, apertis verbis testatur A. Vigoreux in suo opere: *La Bible et les Découvertes modernes I.* 249, ita dicens: “*Quelle distance sépare ici comme dans le recét de la creation, la theodicee d'Israel de la theodicee des habitants des rives de l'Euphrate! Si le document cuneiforme est anterieur à la Genèse comme il résulte de la date que lui assigne M. George Smith, la supériorité de Moys sur le poète de la basse Chaldée n'en est que plus surprenante. Dieu se montre à nous dans le livre hébreu un, juste, sage, tout-puissant, misericordieux. Que voyons-nous au contrarie dans la légende d'Erech? Des dieux multiples, semblables aux hommes, sujets aux mêmes passions, capables des mêmes faiblesses, toujours en querelle les uns avec les autres, effrayés par un oage, abattus comme des chiens. Il y a aussi loin de la theodicee de la tablette à celle du Pentateuque que de celle du Mahabharata au de la theogonie d'Hesiode à celle de l'Evangile.*” Merito proinde Lenomartii opus, *Origines I*, hoc defendentis systema, in indicem relatus est. Auctor tamen sc laudabiliter submisit.

§ 13. De Lithurgistarum Systemate.

43. Alii inspirationem negare verentes, id sibi Moysen proposuisse docent, ut gentilium hexämero diis planetariis dicato posposito, aliud populo suo, idolatriae prono, exponeret, qui in singulis dierum Hexämeri operibus Dei sui meminisset, ipsique singulas dies consecrasset: hinc Hexaemerum esse hymnum eam consecrationem celebrantem docet, praeter alias, nostris temporibus, W. Cliffordius Cliftonensium Pontifex. Ea tamen sententia ipsius Genesios argumento ad-

versatur, id enim hic Moysen innuere voluisse nos Cl. Cornelij docet, quod universae creaturae a Deo dependerent, proptereaque ipsi Deo omnes obedientiam deberent (1). Cui Moysis consilio plurimum conferre omnium rerum creatarum enarrationem nemo non videt. Praeterea ea Sacri Scriptoris mens fuit in Biblico Hexaemero enarrando, ut ethnicorum arbitrariis de rerum creatione figmentis genuinam populo suo rerum omnium originem traderet; id vero ut assequeretur, nonnisi *historicum* agere debebat. Id cuiusvis temporis Hebraei de Biblico Hexaemero sentiebant, perspicuumque in iis Matris Machabaeorum verbis testimonium habemus 2 *Mach.* VII. 28: “*Peto, nate, ut adspicias ad coelum et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus et hominum genus*”; idipsum patet cum Hebraei suam cum ethnicorum cosmogoniis opponerent; idipsum cum S. Scriptor facto producti intra sex dies mundi derivaret obligationem septimi diei sacri habendi.

42. Ceterum iis non contradicimus, qui poeticam praeserre formam Biblicum Hexaemerum putant; id enim bene eum sententiâ nostrâ stare potest; non enim poesis et historica rerum narratio inter se pugnant. Enimvero nullimode protoparentum creationem negavit Moyses cum consideratione dignitatis homini collatae abreptus, ita cecinit v. 27. c. I *Gen.*

*Creavit Deus hominem ad imaginem suam,
Ad imaginem Dei creavit illum,
Masculum et feminam creavit eos.*

43. Igitur ex dictis satis constat in Biblico Hexaemero non solum de diebus agi vulgaribus sed esse etiam documentum aliquatenus historicum. Hie tamen manet illa difficultas, quâ ratione dici possit in documento histórico mundum sexiduo creatum, qui nonnisi immensis saeculorum intervallis formatus solidis argumentis probari potest.

(1) *Introd. in Ut. Test. Lib. Vol. II. p. I. pag. 8.*

§ 14. Praeliminaris Conclusio.

44. Ita profecto inter Biblii Hexaemeri interpretes res se habet. Varia quidem hucusque, uti iam vidimus, eaque speciosa, Biblii Hexaemeri cum scientiis componendi gratiâ excogitata ab eis sunt systemata, ea tamen id unum peccare dignoscuntur, ut sub formidinis imperio omnia fuerint exorta. Non enim Periodismus, non Idealismus, neque Lithurgismus extitissent, nisi stratorum terrestrium secreta profanae scientiae nobis pandidissent. Ea gigantes revera sunt, Euac horrendi filii, quos exegesis summopere expavescit, ibi sane aequareum monstrum quod recentiores Tobias graviter commovet atque perturbat. At quoisque tandem hic rerum permanebit status?—exquirit Catholicus Interpres,, solutum tandem ænigma illud, Biblicumque Hexaemeron ab illâ quaestionum farragine liberum quam maxime videre cupiens. Evidem modus ratioque aliqua existat necessario oportet, quâ veritas supernaturali revelatione cognita cum veritate naturaliter cognitâ componenda sit. Deus enim ipse, uti saepe innuimus, summe Veritas, utriusque ordinis veritatis auctor cum sit, inter se pugnantia loqui non potest. Quodnam tandem huic rei efficien-
dæ Saero Interpreti systema est?

45. Longe nos diversam huius difficultatis solvendae quaerentes rationem, unum Biblii Hexaemeri orationis contextum perpendimus; de iis autem quae extra exegesos fines vagantur nihil omnino curamus. Profanarum enim scientiarum placitis divinum verbum non indiget. Suae tuendae causæ ipsum sibi par esse debet. Haec una difficultatis solvendae, Deo sacrisque scripturis digna, ratio est; haec una exegesos libertatem tuctur, eamque ab illa fluctuantium scientiarum servitute vindicat.

§ 15. Revelationistarum Systema.

46. Et re quidem vera Sacrarum Scripturarum cultores plurimi, iisque optimae notae interpretes in aliam abiere viam, docueruntque Adam iamiam eratum visionem quandam Dæi res omnes actu condentis accepiisse, Geneseosque auctorem, divino afflante spiritu, nonisi eamdem protoparentis visionem, tradi-

tione acceptam, sacris Litteris consignasse. Inde *Revelationistarum systema* ortum habuit. Rem animo fingens ita sese habuisse hisce verbis cl. De Hummelauer perbelle narrat *Comment. in Gen. pag. 80.* “*Adami anima ubi primum a Deo post orbem adspectabilem creabatur per visionem revelationem illustrabatur. Spiritu Dei v. 2 sustentus videbatur sibi medias per tenebras super aquas ferri abyssi. Creationem e nihilo non conspexit, neque enim illa visione imaginaria repraesentari potuit. Aquarum ea audiebat fremitum. Mox vocem audivit “Fiat lux” et facta est lux. Haec aquas revelavit et forma, quod crediderim, humana illis impendentem Deum. Agnovit universi dominum, intellexit aquas non ab aeterno extitisse sed divina virtute esse creatas in principio. Interim lucis experiebatur lenta incrementa et decrementa, quibus mane transit in meridiem meridies in vesperam, vespera in noctem, nox in auroram. Audivit laudatam lucem, diei noctique indita nomina. Altero mane rursum audiit divinum “fiat”, divisus conspexit aquas, stabilitum et appellatum firmamentum. Ubi tertium in visione illuxit mane vocata apparuit arida, iussae germinaverunt plantae, non quascumque vastus procreat orbis, sed illae potissimum quae im paradiso mox erant conspicienda. Uno illo visionis die surculi videbantur excrescere in arbores atque graves fructibus flectere ramos. Nocte interiecta successit quartus dies, lux solis orbe radiisque illustris nox luna stellisque clara. Hunc diem exceptit quintus quo iubente Deo ex aquis prodiere reptilia e terra alites, laudemque creatoris et benedictionem nacta sunt. Quae omnia percipiebat Adam eodem, quo, primā die, constitutus superiore loco atque Dei praesentis manu sustentatus. Sexto vero die post creata animalia terrestria audiit: “*Faciamus hominem*”, Deum conspexit de superiore loco descendenter, lutumque manu in humani corporis speciem conformantem. Qui ubi in figmenti faciem inspiravit halitum, e visione veluti evigilans Adam (Cf. 2. 4.) non iam in superiore loco sese reperit suspensum sed coram Creatore in terra adstantem circumdatum iis creaturis quarum in visione ortum fuerat contemplatus.” Hucusque Cl. De Hummelauer.*

§ 16. Veri Systematis Characteres.

47. Hoc tandem plurimis nos de causis tuendum systema suscipimus. Reverâ illud ceteris esse systema praferendum censemus primo, quod solido fundamento superstructum videatur, secundo, quod optime respondeat menti consilioque Auctoris Sacri, tertio, quod scientiam cum revelatione componendo par dignoscatur, quarto, quod nullas adversariorum difficultates insolutas relinquit, quinto, quod scientiarum profanarum placitis satisfaciat, quae demum cumque sint systemata, quae earum cultores defendant, sexto, quod tandem iuxta hermeneuticac sacrae regulas proponitur. Atqui hisce omnibus Revelationistarum sistema perquam apte respondet. Ergo ceteris est hoc systema praferendum.

48. Huius argumenti *maior*, quam vocant, propositio, per se evidens est, neque proinde est, cur in ea enucleanda immoremur. Nostrum tamen hic unice est ut eiusdem argumenti *minorem*, quo meliori nobis datum est modo, evincendam aggrediamur.

(a) Solidum huius Systematis fundamentum.

49. Et, primo, quidem basim atque praecipuum huius systematis fundamentum revelationem de rebus creatis a Deo Adae factam esse diximus. Neque haec sine validâ ratione opinio est; quin imo eo solidiori intuiti fundamento perspexeris, quo attentius perpenderis hominem sine revelatione Cosmogoniā cognoscere non potuisse. Porro, “*homo, uti Auctor sacer testatur, Gen. 2. 5. tunc non erat.*” Sextâ tantum die “*formavit Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae: et factus est homo in animam viventem*” *Gen. 2. 7 Cf. 1. 27. 31.* Neminem proinde adfuisse docemur, qui Deum hunc orbem conditum contueret, neminem, qui res prae oculis conditas posteris enarrare potuisset. Non nisi igitur divinâ revelatione rerum sexiduo creatarum cognitionem ad hominem pervenisse manifestum est.

52. Neque dicas cum Basilio (M. 29. 5), Ambrosio (M. 14. 125), Eustachio (M. 52. 869), Hugone 175. 32),

Gregorio Nisseno (44. 65), aliisque, non necessario Adam sed Moysen os ad os cum Deo conversantem eam revelationem in Sinaitico monte accepisse. Eam enim Adae fuisse reverâ factam plurimis argumentis demonstratur. Id non obscure ex ipso *Genes.* II 2, 3 testimonio edocemur: “*Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat et requievit die septimo ab omni opere quod patrarat.... et benedixit diei septimo et sanctificavit illum quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret.*” Quae verba, nisi vim orationis contextui inferre velimus, iam ab ipso mundi exordio *septimae diei requiem* cepisse ostendunt. Quomodanam igitur, quaero, *septimam illam* diem mente comprehendere unquam Adani ciusque posteri potuerunt, nisi prius eis Hexäemerum revelatum fuerit? Quomodo Deum septimâ die ab omni opere requiescentem, nisi prius de opere sex diebus confecto audivisset?

51. Dices fortassis, si septimae dici requies atque sanctificatio iam Adamo innotuerit quô fieri potuit ut in aliarum gentium cosmogoniis nulla vestigia extent? Nullius tamen momenti eam esse perspexeris difficultatem, ubi primum cognoveris Cosmogoniam primitus revel tam ita fuisse apud gentes defigurata ut post rerum omnium enarratam creationem, reliquis neglectis, in theogoniae commenta dilaberentur. Ipsa Hexaemeri opera vix obiter gentium cosmogoniae attigerunt, quamvis corum memoria neque oblitterata apud homines fuerit, neque oblitterari potuerit. Quid mirum, quod septimae diei religio, quae Dei, ex memoriâ hominum exsulantis, cultum respiceret, penitus oblivioni data fuerit?

52. Ceterum, quamvis verum sit in gentium cosmogoniis septimae diei religionis nullam fieri mentionem, at eam tum Hebraeis ante Moysem, tum aliis gentibus antiquitus innotuisse constat. Sane quod hebdomada in usu antiquitus fuerit ex variis S. Scripturae locis evincit potest. Id, quod exempli causa sit, evincit *Gen. XIII. 10:* “*Expectatis autem ultra septem diebus aliis rursus dimisit columbam ex arca.*” *IId, Gen. XXIX. 27:* “*Imple hebdomadam dierum huius copulae.*” Quod autem

apud ipsos Hebreos vel ante legem in Sinai promulgatam, diei septimae religionem in usu fuerit, non obscure patet ex Ex: 16. 5: *Die autem sexto parent, quod inferant, et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies.* Neque rationem sane diversam Deus in Sinaitico monte protulit cum legem **saxisset** de septimâ die sanctificanda, atque ea quae vim iam in exordio mundi obtinuerat. Id clare tibi patuerit, ubi primum contuleris *Exod: 20 XX. 9. 10. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est .. SEX ENIM DIEBUS FECIT DOMINUS DEUS COELUM ET TERRAM ET MARE ET OMNIA QUAE IN EIS SUNT ET REQUIEVIT IN DIE SEPTIMO: idcirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum;* si contuleris, inquam, hunc Exodi locum cum *Gen. II 23 Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum: **QUIA IN IPSO CESSAVERAT AB OMNI OPERE SUO, QUOD CREAVIT DEUS UT FACERET.** Causa enim ratioque diei septimae sanctificandae in utroque textu est *divinae post hexämeron requiei* commemoratione.

53. Ad gentes vero quod attinet, scimus diem septimam, vigesimam primam, vigesimam octavam cuiusque mensis *solum* sive “*diem requiei*” apud Assyrios Babiloniosque habitum esse. (*Cf. G. Smith. History of Assurbanipal, London 1871 p. 328.*) Praeterea *Syllabarum II Rawl 32. 16. a b* vocem *sabattav* diem requiectionis cordis praeseferre docet. Huius sententiae nostrae non parum roboris accedit, si Biblicum Hexaemeron cum ethniicorum cosmogoniis conferas. Singulorum populorum, qui Moysi praeiverunt, Babiloniorum, Phoenicum, Persarum, Indorum cosmogonias referre nec iuvat nec vacat. Quod tamen nostra refert, in hisce ethniicorum cosmogoniis non solum, quae in Biblico Hexaemero longa post saecula sunt narrata, invenies, sed eadem ac Biblici Hexaemeri

formâ collocantur: quod satis clare manifestat revelationem quamdam circa res omnes sexilu) creatas, iam extitisse, omnium tum Hebraeorum tum ethnieorum communem originem.

54. Verum enimvero quae sufficiens afferri ratio potest, cur Moysi potius, qui pluribus post generationibus vixit, quam non ipsi protoparenti iam iam creata eam esse factam revelationem dicamus? Nonne Adam mundi suique ipsius originis rationem cognoscere decebat, ut Deo praeципienti esse omnino obediendum perspicuum haberet? Profecto quomodo Deum intelligere ipse potuit ita loquentem: “*Pulvis es et in pulverem reverteris*”, nisi rationem quâ ex limo terrae Deus corpus considerat iam perspectam habuisset.

55. Dum igitur alia recensita systemata, uti iam vidimus plus minusve s. Scripturae adversantur, hoc e contra sistema solido ipsius s. Scripturae iunititur fundamento, hoc esse verum sistema non inverisimilis coniectura est.

(b) *S. Auctoris consilio optime respondet.*

56. Hoc praeterea sistema menti consilioque tum s. Scriptoris, tum ipsius Dei praecipui S. Scripturarum Auctoris aptissime respondere diximus. Auctor enim Sacre historicum agens, populi Hebrei originem in Genesi texere voluit, cui merito Cosmogoniam praefigit, quam an et quatenus historica sit, iam disquisivimus (par. 41).—Ad Deum vero quod spectat, quem nisi duplicem hunc in Biblico Hexaemero revelando sibi finem proposuerat, ut nempe res omnes a se esse creatas, septimaeque diei in laudem Creatoris sabbatinam requiem edoceret? Quem duplensem sane finem hoc systemate plene comparari nemo non videt, nec proinde opus est ut in hoc enucleando immoremur. Evidem scio et alia systemata proximo quodque suo cum duplensem explicare finem et fortassis, quo intendunt, optime pervenire. Attamen id unum saltem ea omnia peccant quod, uti iam vidimus, scientiis profanis cum Biblico Hexaemero componendis sint imparia.

(c) *Scientia cum Revelatione bene componitur.*

57. Quem tamen defectum Visionis systema supplere dignoscitur, et ita scientia cum revelatione optime componitur: quod hic tertio loco demonstrare nostrum est. Quamvis enim Deo placuerit ut Adae huius mundi genesis visionem elargiret, potuit, iis in visione praecisis, quae ad rei substantiam non pertinent, merum factum revelare; temporis proinde in rebus creandis revera collati circumstantiâ neglectâ, brevius tempus in visione substituere potuit. Quo facto, patet omnium rerum evolutionem menti Adae obversandam fuisse ratione longe diversâ, quâ reipsa eae factae sunt. Hinc Adae bene potuit statim arida apparere terra, quae nonnisi paucis ante horis ex aquis emerserat, quod tamen in rerum naturâ contingere omnino nequivit (*Gen. I 9.*). Hinc plantae, animalia quae, uti Botanistae et Zoologi tradunt, lantis incrementis in rerum naturâ adolescunt, unicâ tamen die erant in visione ad maturitatem perducendae (*Gen. I. 11. 12. 13.*) Visne plura dicam? Hinc etiam si plantarum et animalium familias exortas in rerum naturâ eodemque fere tempore fuisse strata ipsa testantur, id tamen non vetat quonimus diversis in Biblico Hexameron diebus plantarum et animalium origo assignaretur, ubi semel creationis opus sex diebus Deus distribuere placuisset, quo vividius homo omnia a Deo esse condita perspectum haberet. Hinc neque ea plantarum animaliumque genera, quae forte quondam extitissent, sed quae iam extineta essent, ante Adae oculos in visione produci necesse fuit, cum Deus per viventia omnium conditor sufficienter pateficeret. Hinc quae animalia, naturae portenta, in dissitis forte tunc extabant regionibus, ea Adae demonstrari visione neque oportebat, cum eadem potius in admirationem Adam, quam in laudem Dei provocassent. Hinc etiam si iuxta scientiae profanae placita lux sine astris existere nullo modo potuit, si plantae, animalia cum continentibus et maribus verius fuerint nata: id tamen non vetabat quonimus Deus in duo tridua Biblicum Hexa-

merum in visione dispesceret; in quorum priori operum distinctionem: lucem, mare, terram, firmamentum; in posteriori vero distinctorum ornatum: astra, alites, plantas, pisces Adam intueretur: neque haec sine ratione distinctio est, vividius enim intuentis menti claresceret veritas in s. Scripturis hisce verbis expressa: *Igitur perfecti sunt coeli et terra—et omnis ornatus eorum Gen. 1. Fecit Deus coelum et terram—et omnia quae in eis sunt. Ex. 20. 11.* Et en inter scientiam et revelationem, visione suppositâ, discordia evanescit.

(d) *Ceterorum Systematum placitis satisfacit.*

58. Sed et ulterius hoc visionis systema caetera non omnino rejicit sed eorum, quatenus vera sint, placitis satisfacit, quod quarto loco est hic nobis demonstrandum. Ita quod exempli causa sit, iis omnibus favere dignoscitur, qui dies Biblici Hexaemeri naturales explicare malunt, sive Diluvianistae, sive Restitutionistae, sive Poetistae ipsi sint: et ita naturales eas exhibet, non ut geneseos mundi durationem sed eâ tantum de caussâ ut septimae diei requiem nos doceat. Periodistis permittit immensas periodos, quae in visione Biblico Hexaemero repraesentari potuerunt. Idealismo illud fundamentum supponit exegeticum, quod apud Idealistas destinatur. Non enim cum Idealistis hoc visionis systema ex fine Dei revelantis quid revelaverit, definimus: in textu claro, quid Deus dicere voluerit, ex iis quae dixerit colligendum prae primis est. In visione e contra exponendâ, cum ex textu quid ad historiam quidve ad symbola spectet nullo modo clare pateat, merito ad Deum ipsum visionem largientem mens nostra fertur.

(e) *Iuxta Hermeneuticae Sacrae Regulas proponitur.*

59. Quin imo cum cetera, quae supra memoravimus, systemata contra saeue hermeneuticae regulas plurimum peccent, uti iam vidimus, in hoc visionis systemate hermeneuticae regulæ nullimode negliguntur. Et re quidem verâ, regula servatur illa, quam orationis contextum vocant, quamque plus minus in

ceteris systematibus deficere vidimus. Hexaemeri enim narratio talis est ut visionem potius suggerat, quam excludat. Namque plurima in eâ inveniuntur quae facta certissime non sunt, convenientissime tamen in visione, tamquam facta essent, exhiberi poterant; ita, quod exempli gratiâ sit, homine nondum condito, Deus singula opera ut fierent verbis nequam quam präcepit, factis nomina haud imposuit, animalibus quintâ die creatis benedictionem verbis minime elargitus est. Praeterea Deus in Biblico Hexaemero exhibetur präcipere ut mane terra arbores germinet, vespera autem eiusdem diei arbores productae significantur iis vocibus: *Et factum est ita.* Hoc tamen sine miraculo maxime violento non explicaveris.

60. Dico “*sine miraculo maxime violento;*” nam voces טַדְאֵזֶה דָּשָׁא (*tadexe dexe*) germinet germen ad plantam teneram nascentem referuntur; haec proinde terminus creationis fuit; unde iuxta el. Hummelauer, (1) plantarum origo a tenuissimis germinibus profecta hoc Geneseos loco describitur. At plantas non in germinibus substitisse sed reapse in herbas et fructus cädem Biblici Hexaemeri die maturuisse pluribus colligas rationibus. Et, primo, quidem, reliquae dies sua ad perfectionem perducunt opera; ergo etiam tertia. Praeterea, animantia, quae subsequentibus Hexaemeri creata sunt diebus, non meritis germinibus, sed insuper seminibus, fructibus ad victum indigent. Ergo iis verbis “*et factum est ita*” plantas ad maturitatem productae intelliguntur. Tertio, idipsum ex parallelismo eruitur; Deus enim sextâ die (*Gen. I, 29*) ita loquens inducit: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna quae habent in semetipsis semen generis sui, ut sint vobis in escam.* Quae verba non mere germina sed plantas ad maturitatem productas tertiatâ hexaemeri die orta non obscure indicant: ergo plantas unicâ die a tenuissimis germinibus ad maturitatem productas unica die versus *Gen. II* describit; quod quidem sine miraculo maxime violento fieri non potuit. Verum miracula tum tantum fas est affirmare, quando aut clare in textu asseruntur, aut res sine miraculis explicare nullatenus

(1) *Com. ad Gen. v. Germinet.*

potest. At cum ex unâ parte nullum, in Biblico Hexaemero clare asseratur miraculum, ex aliâ parte res visione facta optime explicatur.

61. Neque Auctoris Sacri, ipsiusque Dei, S. Scripturarum praecipui Auctoris, negligitur consilium, quod prae oculis S. Interpres maxime habere debet. Id iam satis pro re nostrâ (par. 56) demonstravimus.

62. Sed et regula illa, quam *parallelismum rerum hermeneuticae sacrae* cultores vocant, huic favere systemati dignoscitur. Etenim *homo*, uti Genescos Auctor asserit II. 5, *tunc non erat*. Sextâ tantum die *formavit Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae: et factus est homo in animam viventem Gen. II. 7*. Neminem proinde fuisse docemur, uti iam innuimus (par. 49), qui Deum hunc orbem condentem contueretur, neminem, qui res prae oculis conditas posteris enarrare posset. Quomodo igitur, nisi divinâ revelatione, rerum sexiduo creatarum cognitionem Adam dignoscere poterat?

(f) *Ab Adversariorum difficultatibus facile expeditur.*

63. Postremo ab adversariorum difficultatibus hoc revelationis sistema facile expediri potest.

Revera ideo ii putant hoc esse sistema rejiciendum quod modum quo revelatio facta fuerit non cognoscamus. Sed, pri-
mum, factum ipsum ostendit eam esse homini factam revelationem, siquidem homo tunc non erat qui Deum hunc mundum condentem intueretur posterisque enarraret. Praeterea neque Deus Aaron et Mariae hisce alloquens verbis fidem mereretur (*Num XII.*): “*Si quis fuerit inter vos propheta Domini in visione apparebo ei vel per somnum loquar ad illum.*” Ad rem fortassis Crisost. in Isajam I.I. (*M. 56. 14*): “*Quomodo haec quae vident prophetae videant dicere nostrum non est; visionis quippe modum non possumus explicare; sed ille solus clare novit qui experientia didicit.* Etenim si naturae opera et effectus saepe *nemo explicare potest multo minus modum operationis spiritus.*

Quod si obscuris imaginibus audacter quis id aggredi possit non certo ita poterit ut clarum id reddat sed in aenigmate id afferret."

64. Modos pene innumeros, quibus Deus aliquam manifestare veritatem potest, hic nos ad duo capita reducimus: sive *verbo* sive *visione*: priori modo veritas revelanda *auditione* menti communicatur: Ita Moysi ore ad os locutus est Deus, posteriori vero modo visio auditum quidem attingere potest et plerumque attingit, adiuncta habens verba visionis sensum explicantia; sed ipsa visio proxime et potissimum sensum visus afficit. Inter hos duos modos posteriorem ad rem nostram explicandam seligemus. Prior enim orationis contextui adversatur; si quis enim allegorice loqui vult, id aliquo modo sufficierter claro significet oportet. Ita Nathan ubi divino instinctu Davidi parabolam ovis iniuste ablatae proposuit 2 Reg: 12. 7 pergit: *Tu es ille vir.* Quod si verba haec Nathan Davidi non protulisset, David sermonem non intellexisset. Quare simile quid adjiciendum erat, si verbis Biblicum Hexaemerum revealaretur: quia cum, ut vidimus, rerum creatarum in Biblico Haxaemero narratio in sensu litterali sumi non possit, in sensu allegorico necessario sumi debet. At nihil ejusmodi in eo haberi, nemo non videt. Imo ex eo ipso quod Biblicum Hexaemeron in libro historico reciperetur allegoria excludi, verbaque integre, litteraliter, immediate sumi debent.

65. Varia, uti optime disserit A. Hummelauer *de Gen. pag.* 70, in Scripturis novimus genera visionum: alia rem quae revealatur exhibent accurate qualis in rerum naturâ existit; ita S. Paulo *Act 9. 12* ostendebatur in visione Ananias eâ oris specie quam ab alio quovis obvio discerneretur. Alia rem revealant per symbolum; Sic Ieremiae *I. 13* panditur malum ab aquilone imminens immagine ollae succensae, ab aquilone meridiem versus inclinatae. Inter utramque speciem mediae sunt aliae, quae rem partim propriâ partim symbolicâ specie repraesentant. Ita Iudee *2 Mach. XV. 12* apparuere Onias et Ieremias propriâ specie cum aureo gladio; quod futuram Dei protectionem figu-

rabat. Ad rem proinde Cl. Knabenbauer *Is 26*: “*In ipsa imagine menti prophetae proposita singula quidem quae revera vel per se vel symbola exprimuntur, vera sunt idest aliquid exhibent quod utique accedit, at cavendum est ne singula eadem ratione quā usa sint in rerum eventu exprimi debere censemus.*” Ex quibus cum Cl. Hummelauer sequentem pro visionibus interpretandis canonem deducimus: VISIO EVENTUI RESPONDEAT QUOAD PARTICULARIA, ET EXTERNAM RERUM SPECIEM, ita contingit in Biblico Hexaemero, ut iam vidimus. Quare in eiusmodi narratione explicandā, ut idem scriptor advertit, fas non est praesumere eventum eodem penitus modo, quo depingatur, habuisse locum, sed interpretis est prudenter dispicere, quid historiae, quid visioni sit tribuendum, atque in dubiis sapienter haesitare.

66. Neque tamen dicas nullimode eiusmodi visionis in Biblico Hexaemero fieri mentionem; id enim necessarium non erat, quo certiores fieremus de visione heic agi; cum rem intimius scrutanti id ex narrationis indole sufficienter patescat. Ad rem Corluy “*La Science Catholique*” Iul. 15. 1889: “*Etsi Geneseos textus visionem non commemorat, singula tamen opera eo ordine recenset, qui satis commode comparetur totidem visis, quae videntis oculis fuerunt obiecta. Unde fit verissimile, Deum reapse eiusmodi visis revelasse sua opera, quae eodem, qui in Genesi describitur, ordine vere sibi in rerum naturā successerint. Quod porro in illis visis lux et tenebrae invicem excipiebant, merito successivae periodi dies appellabantur habebantque singulae mane et vesperae.*” Prophetae in suis visionibus enarrandis si verba visionem indicantia adhibent, id nullā aliā de causa fecere, nisi quod ipsi inculcare voluerint se revelata loqui: quo certius audientium animos commoverent: at nihil eiusmodi Geneseos auctor intendere voluit. Ceterum scimus adiecto visionis nomine quandoque eas in Scripturā designare revelationes, quae visiones stricte dictas nequaquam fuerint: confer “*visionem Abdiae*”: in qua nihil repertus veri nominis visione revelandum. Quod si praefixum visionis nomen non efficit agi de visione presso sumptā, quomodo omissum efficiat non agi de visione?

67. Neque iure conquereris cum Lamy quod vox *dies* sensu figurato sumatur, narratio in allegoriam detorqueatur. In hoc enim systemate vox sumitur sensu maxime et unice litterali, referturque ad dies in visione oculis obiectos eo fine non ut Geneseos durationem, sed ut septimae diei religionem edoceamur. Praeterea aliud est allegoria aliud visio: illi nihil cum historia commune, huic aliquid. Biblicum Hexaemerum est narratio vere, licet non exclusive historica. Fas est historiarum antiquissimarum scriptoribus narrationem ordiri a documento non pure historico: idipsum facit Auctor Genesis mundi originem de quâ nulla extabant documenta humana, describens ex documento divino, quod ex fine religionis potius quam historiae fuerat revelatum.

68. Neque recte Meignan (*Le monde et l'homme primitif selon la Bible Paris 1889 p. 5 sq.*) objiciens advertit mandatum sabbati observandi *Ex. XX. 8*, in facto conditi sex diebus mundi fundari; mandatum vero in visione fundari non posse. Deus enim ideo praecise factum creationis formâ Hexaemeri revelaverat, quo septimae diei requiem commendaret; eandem postmodum mandato sancitus ad factum, quâ formâ revelatum fuerat, provocat. Omnino abs re erat ut Deus Hebraeos doceret differentiam inter factum et formam, quae non nisi ad solvendas difficultates post plura annorum millia nascituras requireretur. In Cosmogonia, urget Meignan, omnia sunt clara, distincta et ordine digesta, non exprimitur admiratio hominis visionem experientis. Sed neque haec valet difficultas. Potest enim et visio clare et distincte narrari, et Scriptura saepissime narrat facta quin sensus illis factis in animis testium excitatos recenseat.

69. Vides igitur, omnibus quas adversarii congerunt difficultatibus, hoc minime labefactare systema, cum reliqua e contra erronea sint atque absurdâ, uti breviori atque clariori, quo nobis datum est modo, iam superioribus capitibus demonstravimus.

70. At si veritas supernaturali revelatione cognita veritati naturaliter cognitae adversari nullo modo potest, si Deus

utriusque ordinis veritatis auctor est, si Deus, summe veritas, inter se pugnantia loqui nullo modo potest, aliquod verum conciliandae revelationis cum scientiis profanis systema existat necesse est. Si reliqua, uti iam vidimus, systemata conciliandae revelationis cum scientiâ inepta esse iam demonstravimus, si hoc e contra non solum componendae scientiae cum revelatione par dignoscitur, uti iam vidimus, sed id ipsum etiam solido fundamento superstructum demonstravimus, menti consilioque auctoris sacri ipsiusque Dei, praecipui Divinarum Scripturarum Auctoris optime respondens innuimus, nullas adversariorum difficultates insolutas relinquens probavimus, profanarum placitis satisfacere perpendimus, quae demum cumque sint systemata, quae earum cultores defendant, iuxta hermeneuticae sacrae regulas proponi vidiimus, quaenam tandem huic nostrae, quaecumque sit, disquisitionis complexio erit? Haec logica, ni nos omnia fallunt, complexio esse videtur: *Revelationis systema ad Biblicum Hexaemerum explicandum unice verum esse, ergo hoc unice esse necessario admittendum.*

71. Etenim, postquam, omnia, quo diligentiori nobis datum est modo, libravimus systemata, quae Biblicum Hexaemerum cum scientiis profanis conciliandi gratiâ in medium proferuntur, ab eo quod Augustinus sapienter praeceperit, deflexisse non videmur: “ In rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis si qua inde scripta etiam divina legerimus, quae possint salvâ fide, quâ imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos praecepiti affirmatione ita projiciamus, ut, si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactatur, corruamus, non pro sententiâ divinarum scripturarum sed pro nostrâ ita dimicantes ut eam velimus scripturarum esse quae nostra est, cum potius eam, quae scripturarum est, nostra esse velle debeamus. Ponamus enim in eo, quod scriptum est: Dixit Deus fiat lux, alium sensisse lucem corporalem factam, et alium spiritualem. Esse spiritualem lucem in creaturâ spiritali fides nostra non dubitat, esse autem lucem corporalem caelestem, aut etiam supra caelum, vel ante

“ caelum, cui succedere nox potuerit, tamdiu non est contra
“ fidem, donec veritate certissima refellatur. Quod si factum
“ fuerit, non hoc habebat divina scriptura, sed hoc senserat
“ humana ignorantia. Si autem hoc verum esse certa ratio
“ demonstraverit, adhuc incertum erit, utrum hoc in illis verbis
“ sanctorum librorum scriptor sentiri voluerit, an aliud aliquid
“ non minus verum. Quod si cetera contextio sermonis non
“ hoc eum voluisse probaverit, non ideo falsum erit aliud,
“ quod ipse intelligi voluit, sed et verum, et quod utilius
“ cognoscatur. Si autem contextio scripturae hoc voluisse intel-
“ ligi scriptorem non repugnaverit, adhuc restabit quaerere,
“ utrum et aliud non potuerit. Quod si et aliud potuisse inve-
“ nerimus, incertum erit, quidnam eorum ille voluerit; et
“ utrumque sentiri voluisse non inconvenienter creditur, si
“ utriusque sententiae certa circumstantia suffragatur. Plerumque
“ enim accidit, ut aliquid de terrâ, de coelo, de ceteris mundi
“ huius elementis, de motu et conversione vel etiam magnitu-
“ dine et intervallis siderum, de certis defectibus solis ac lunae,
“ de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium,
“ fruticum, lapidum, atque huicmodi ceteris etiam non chri-
“ stianus ita noverit ut certissimâ ratione vel experientia
“ teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime
“ cavendum, ut christianum de his rebus quasi secundum
“ christianas literas loquentem ita delirare quilibet infidelis
“ audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto coelo errare consciens
“ risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod
“ errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis, qui
“ foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum
“ exitio, de quorum salute satagimus, tamquam indocti repre-
“ henduntur atque respuntur. Cum enim quemquam de numero
“ christianorum in eâ re, quam optime norunt, errare depre-
“ henderint, et vanam sententiam suam de nostris libris asserere,
“ quo pacto illis libris credituri sunt de resurrectione mortuorum,
“ et de spe vitae aeternae, regnoque coelorum, quando de his

“ rebus, quam iam experiri vel indubitatis numeris percipere
“ potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos ” ? (1).

72. Non igitur immerito plurimi, iisque gravissimae notae,
hoc Revelationis sistema tum indirecte tum etiam explicitis
verbis defenderunt interpres. Optimo iure hoc sistema indi-
recte defendisse dicimus, quotquot Biblici Hexaemeri auctorem
“ prophetasse ” affirmant; ita se gesserunt Basilius (*M.* 29. 5),
Ambrosius, (*M.* 14. I25), Eustachius (*M.* 53, 869), Rupertus, Hugo
(*M.* 175. 32), Procorus (*M.* 87. 28). Unius Hugonis heic verba
innuisse sufficiat: *Ita Moysen*, ait, *in Cosmogonia de praeteritis
uti in benedictionibus Iacob de futuris prophetasse*.

Sed et expressis verbis tum veteres Patres tum recentiores
Scripturarum enarratores tuiti sunt. Inter veteres hic memi-
nissee invat: Chrisostomi, Severiani, Gabalitani, Iunilii, Africani.
Inter recentiores Kurtz (*Bibel u. Astronomie*, Berlin 1842) Ano-
nymi: *The Mosaic record in harmony with the geological*, Lon-
don 1855, H. Miller *The testimony of the rocks*, Edinburgh
1857, Schultz *Die Schöpfungsgeschichte nach Naturwissenschaft
u Bibel*, Gotha 1865, Rogemont, *Le surnaturel démontré par
les sciences naturelles*, Neuchâtel 1870, Godet, *Etudes Bibliques I*
Neuchâtel 1872, Moigno, *Les splendeurs de la foi III p. I.*
pag. 303, Paris 1877. Bougand *Le Christianisme et les
temps presents III. I57 seqq. Paris* 1878 Scheeben *Handbuch der
Rath. Dogmatic II. 112, Freiburg i. B.* 1878, Hummelauer *der
Biblische Schöpfungsbucht*, *Freiburg i.B.* 1877, Becker *Studien ob
godsdiestig, wetenschappeliik en letterkundig gebied*, Brusse
Corluy *La Science catholique*, 15. *Iul.* 1889, cuius verba iam
supra memoravimus (par. 66).

(1). *Gen. ad litt. L. I c. 18 § 37; c. 19. § 38. 39.*

NIHIL OBSTAT

16 Iunii 1904.

Vallettae

F. CAN. BONNICI.

Imprimatur

Dat. die 22 Iunii 1904

Ios. CAN. CANT. MERCIECA

Vic. Genlis.

INDEX.

| | Operis Dedicatio. | Pag. 3 |
|-----|--|--------|
| § | 1. Sacrae Scripturae quoad omnes partes Inspiratio. | „ 5 |
| § | 2. Discriminis Fontes. | „ 8 |
| § | 3. An aliquo textus noster vitietur mendo. | „ 9 |
| § | 4. An obscurus textus recte dici possit. | „ 13 |
| § | 5. Interpretis Partes. | „ 14 |
| § | 6. De Creatione simultanea duplex opinio. | „ 15 |
| § | 7. De Dierum Idealium Systemate. | „ 16 |
| § | 8. Quid revera senserit Augustinus. | „ 20 |
| § | 9. De Realium Dierum Systemate. | „ 24 |
| § | 10. De Periodistarum Systemate. | „ 24 |
| § | 11. De Vulgaristarum Systemate. | „ 30 |
| § | 12. De Pianciani Systemate. | „ 31 |
| § | 13. De Mythistarum Systemate. | „ 31 |
| § | 14. De Lythurgistarum Systemate. | „ 32 |
| § | 15. Praeliminaris Conclusio. | „ 34 |
| § | 16. Revelationistarum Systema. | „ 34 |
| § | 17. Veri Systematis Characteres. (a) Solidum huius Systematis fundamentum | „ 36 |
| (b) | S. Auctoris Consilio optime respondet. | „ 39 |
| (c) | Scientia cum Revelatione bene componitur. | „ 40 |
| (d) | Ceterorum Systematum placitis satisfacit. | „ 41 |
| (e) | Iuxta Hermeneuticae Sacrae Regulas proponitur. | „ 41 |
| (f) | Ab adversariorum difficultatibus facile expeditur. | „ 43 |

ERRATA

| | | |
|------|----------|--------------|
| Pag. | 7 v. 15 | pcrtrahant |
| " | 24 v. 33 | <i>idem</i> |
| " | 32 v. 9 | <i>recét</i> |
| " | 32 v. 25 | § 13 |
| " | 34 v. 1 | § 14 |
| " | 34 v. 31 | § 15 |
| " | 36 v. 1 | § 16 |
| " | 47 v. 14 | huic |
| " | 47 v. 11 | profanarum |

CORRIGE

| |
|------------------------|
| pertrahant |
| <i>diem</i> |
| <i>récit</i> |
| § 14 |
| § 15 |
| § 16 |
| § 17 |
| huius |
| scientiarum profanarum |